Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26044
Copyright: Admont, Benediktinerstift

suis gregatim advenientibus et dirupto legionum ordine confuse venientibus. iamque sa
gittariorum impetum qui in duabus precedentibus aliis erant dux pervenit ac illas cum duobus
comitibus qui eas preerant ferme funditus delevit. Post haec duas acies regis scilicet et eius avun
culi impegit. ex regis acie nullo egrediente. sed in modum silve fixa immobiliter manente
iam Ungaris fuge volentibus. teutonici in posterioribus aliis ducem secuti fugam ine
unt. duce ignorante que fiebant propter multitudinem pulveris qui ibi siccitatis tempore maxi
mus est. Unde ab animatis hostibus dux circumfusus fuge compellitur beneficio obducti pul
veris aeris. et pugnacis dextere. presidium in oppido hyemis. quod olim a romanis inhabita
tum fauianis dicebatur. declinavit. Ungari quoque usque ad Vischae fluvium hostes insecu
ti ad sua redeunt. cede maxima nobilium et illustrium vulgi quoque ubique plus tamen in
ungaris acta. Cur tamen · XXXVIII.

Circa idem tempus Rogerius siculus. apparatis in apulia. calabria. sicilia triremibus et bi
remibus. quas modo galeas seu sagitteas vulgo vocant. aliisque navibus bellicis onera
riis. classem in greciam destinat cum ducibus strenuis et navali prelio gnaris. Qui con
tinuo in greciam sine gravi impedimento negocio capto. ad Curfol usque fortissimum castrum
progressi. dum nulla vi capere id valent in dolo agentes. premittunt quosdam qui se mor
tuum humandi gratia deferre simularent. erat enim in eodem castro clericorum more congrega
tio clericorum seu monachorum. idem castrum intrantes grecis eiectis. presidiumque suis ibi
locatis. Inde ad interiora grecie progressi corinthum. thebas. athenas. antiqua nobili
tate celebres expugnant ac maxima preda direpta. opifices etiam qui sericos pan
nos texere solent ob ignominiam imperatoris illius suique principis gloriam captivos
abducunt. Quos Rogerius in Palermo sicilie metropoli collocans. artem il
lam texendi suos edocere precepit. et exhinc predicta ars illa prius a grecis tantum inter
christianos habita romanis patere cepit ingeniis. Sed ut ad id unde paulisper digres
sum est stilus redeat. de inopinata pace orbi reddita dicendum restat. XXXVIIII.

Eugenio in urbe sedente Conrado in eadem Lodowico in occidentali francia
regnantibus. imperante in urbe regia Manuel. hyerosolimis Folcone Lodowicus
diu occultum hyerosolimam eundi desiderium habens eo quod frater suus Philippus. eodem voto
astrictus. morte preventus fuerat. diutius propalare nolens. quibusdam ex principibus su
is propositum mentis aperuit. Erat illo in tempore in gallia claravallensis abbas quidam
Bernhardus dictus. vita et moribus venerabilis. religionis ordine conspicuus.
sapientia litterarumque scientia preditus. signis et miraculis clarus. Quem principes de hac
re quasi divinum oraculum consulunt. sed illo tam grandi exempla auctoritate respon